

## **Elegia in funere ... Wilhelmi Baronis a Lyere / [Pieter Burman].**

### **Contributors**

Burmannus, Petrus, 1713-1778.

### **Publication/Creation**

[Leyden] : [publisher not identified], [1735]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/k2c6ccz2>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

8

# ELEGIA

I N F V N E R E

*VIRI PERINLVSTRIS, ET NOBILISSIMI*

## WILHELMI BARONIS A LYERE

VTRIVSQUE CATVICI TOPARCHAE, CIVITATIS SCHOONHO-  
VIENSIS CONSVLIS AC SYNDICI, DELEGATIS ORDI-  
NVM HOLLANDIAE ADSCRIPTI, VIIS ET AGGE-  
RIBVS RHENOLANDIAE CVRANDIS OCTO-  
VIRI, DITIONIS BREDANAE PRAE-  
FECTI, VRBIS ET AGRI HEVS-  
DANI SATRAPAE  
ETC. ETC. ETC.

MAECENATIS AC FAVTORIS SVI  
OPTIMI, DESIDERATISSIMI.

DEFVNCTI A. D. XIII. NOVEMB.  
CLO IO CC XXXV.





# E L E G I A.

**T**empus ad hoc placidas, si qua est ea gloria, Musas  
Innocuis juvit demeruisse modis.  
Et mea, si quid id est, Phoebi studiosa, juvenus  
Ingenua laetos egit in arte dies.  
Nunc citharam averso non sponte resumere vultu  
Et querulum invitâ carmen hiare lyra,  
Cogor, & adtonitus tam celsi funeris ictu  
Triste reluctanti solvere voce melos.  
Nam quid dissimulo luctum male durus, & udis  
Quis pudor in tanto vulnere flere genis?  
Sustineam, erepto mihi Maecenate, dolori  
Parcere, vel lacrimis ponere velle modum?  
Non ita Caucaëis genuit me rupibus Ursa,  
Uberave Hyrcana caute Leaena dedit.  
Tigris Hyperboreo nec me nutrit in antro,  
Nec mihi de duro marmore corda rigent;



Ut valeam sicco fletum compescere vultu,  
 Musa vel in tanto fit tacitura malo.  
 Quin feror, indomiti quo me rapit ille doloris  
 Impetus, & fati de gravitate queror.  
 Fertur in exsequias CATVICIUS: ite Camenae,  
 Ad tumulum eximii solvite iusta viri.  
 Tune per invidiam crudelis ad omnia Parcae,  
 Nunc nisi conspicui Nominis umbra, jaces?  
 Nec licet annosae tibi tempora ducere vitae  
 Magne vir, innumeros tangere digne dies?  
 Nec tua te virtus, nec mens generosior Orco  
 Eximit, integro nec tua corde fides.  
 Nec Stygias candor rarissimus ille Sorores  
 Effugit, & cunctis obsequiosus amor.  
 Sic solet. ignavum qui perdit defidis otî  
 Tempus, & in nulla marcidus arte trahit,  
 Quique sibi tantum soli prodesse laborat,  
 Serius, & longum fata moratus, obit.  
 At qui sollicitis gravibusque laboribus annos  
 Conficit, & multis utilis esse studet;



Opprimit hunc leti vis praecipitata rapacis,

Et subito cunctis flebilis ille cadit.

I nunc, & validis firmati viribus aevi

Fide, vel in longos protrahe vota dies.

At mihi, de Batavo cum litore tristis abirem,

Cogerer & patriae linquere dulce solum,

Istane, Catvico, carisque avulsus amicis,

Omina sperabam funeris esse tui?

Ultimaque amplexus inter fore verba putabat

Nescia tam subiti mens nec opina mali?

Jamque ego sum terras ideo rediturus in illas,

Ut videam tumulum, Vir generose, tuum?

Et pro te cineres, & inania marmora cernam,

Et gelidum lapidem, qui tegit ossa, teram?

Friska da veniam, quo tempore stamina vitae

Inlustri secuit trux Libitina Viro:

Qua fugientem animam traxit CATVICIUS hora,

Poenitet in terra me latuisse tua.

Quod non lapsa sinu moribundi membra fovere,

Nec potui ad moestum pervigil esse torum;



Nec mea singultus inter lacrimasque resistens  
 Lingua valedixit, Frisia, culpa tua est.  
 Lumina vicina quod non languentia morte  
 Fida manus potuit claudere, culpa tua est.  
 Defuit officio pietas si nostra supremo,  
 Invida lex fati, non ego, causa fuit.  
 At tibi quid superesse animi, sensûsque, putabo,  
 Catvicum, Batavi flos & ocelle foli?  
 Orba tuo Domino splendorem perdis, honorque  
 Conditur hoc tumulo, quo jacet ille, tuus.  
 Ne dubita laceros confusa resolvere crines,  
 Et tibi sacratum fle, miseranda, caput.  
 Posthabito cultu ferales indue vestes,  
 Et lacrimae rivi more fluentis eant.  
 Atria quae nuper myrto, lauruque recenti,  
 Ornabas laeta, sedula turba, manu;  
 Squalida funerea tibi nunc cingenda cupressu,  
 Taxus & infauftas moereat ante fores.  
 Cernere nam videor deserta colentibus arva,  
 Pascuaque armentis nuda jacere suis.



Rusticus angusto ducens suspiria tecto  
 Languidus adfuetum vix bene tractat opus.  
 Tityrus & lepdo dum cantat Phyllida lusu,  
 Et calamis aptat carmen agreste novis,  
 Morte repentina concussus scindit avenam,  
 Et vocat errantes in sua septa greges.  
 Faunus & abjecta mox rumpit arundine cantum,  
 Condit & obscuro se Satyrosque specu.  
 Cumque maris Domino glaucis Nereides antris  
 Caerula turbatis fluctibus ora tegunt.  
 Ipse pater Rhenus, cursum qui fluminis illic  
 Terminat, & tristem labitur ante domum,  
 Projicit adtonitus, digitis quam sustinet, urnam,  
 Et tumido annosum celat in amne caput.  
 Vos quoque, Catvico qui nunc superestis, amici,  
 Tuque animae, Frater, portio magna meae;  
 Turba pio planctu pompam comitata feretri,  
 Vos ego non aliter condoluisse reor.  
 O utinam luctus pars quantulacumque fuissẽm!  
 Vicisset lacrimas nulla querela meas.

Vobis-



Vobiscum fletûs certamen inire juvaret,  
 Aemula de justo pugna dolore foret.  
 Quod mihi dum Fortuna negat, jam Musa resolvit,  
 Fataque nunc querulis pensat iniqua modis:  
 Quod licet, has lacrimas, & flebile carmen amici  
 Accipe reliquiis, Vir generose, tuis.  
 Munus honorati parvum ne spernite Manes,  
 Et mea fit vobis rite probata fides.  
 Mox aestate nova flores ad busta recentes,  
 Ossaque & in cineres dulcia mella feram.  
 Tunc ferta, & violas, lacrimarum rore madentes,  
 Gestiet ad tumulum spargere grata manus.  
 Interea humanas jam despicientia curas  
 Otia in Elysia sede beatus agas.  
 Gaudia nunc agites vitae diuturna perennis  
 In fortunatis nobilis umbra locis.  
 Maximaque inlustres capiant solamina Manes,  
 Te bene de patria promeruisse tua.  
 Quodque animi raras praeclaro in pectore dotes  
 Agmen amicorum post tua fata colat.

PETRUS BURMANNUS,  
 FR. FIL. FR. NEP.